

# CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

*Level Two Medieval Latin Examination*

**28 August 2025**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. Each section will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.** You have three hours to complete the exam.

\*\*\*\*\*

## **1. Přemysl pinched properties from his people**

Anno domini MCCLXXVII rex Przyemisl regi Rudolfo adhesit et cepit suos despiciere et extraneos ad terram suam invitare, unde suis multas violencias inferebat bona eis auferendo. [...] Viduis et orphanis multas violencias inferebat; Claustrelum ultra Cadanum monachis de Porta apostolorum, terras eciam videlicet Cubicensem, Tratnovicensem, Glacensem Theutonicis tradidit suos postergando;<sup>1</sup> Zawissium eciam et totam cognacionem suam proscricione dampnavit nec ulla misericordia flecti voluit et in ipso eciam progressu bona ipsorum invadendo igne concremavit. Novam Domum domino Ulrico antiquo accepit et in quadam villa nomine Buk ipsum locavit; Hlubokam domino Czyeczoni de Budygevicz recepit propter unum leporem, quem venatus fuerat in silvis regiis, et post sibi Welyss circa Gyczyn dedit cum bonis ad hoc pertinentibus pro bonis superius nominatis. Que tamen bona occiso Przyemislone filius eius Wenceslaus rex filio Czyeczonis eciam nomine Czyecz abstulit et villam nomine Olessnam in montanis dedit.

---

<sup>1</sup> *Postergare = negligere.*

**2. The first of the Franks to be Caesar concedes to his child the crown before they feast**

‘Francia me genuit, Christus concessit honorem,

Regna paterna mihi Christus habere dedit.

Haec eadem tenui, nec non potiora recepi,

Christicoloque fui pastor et arma gregi.

Caesareum primus Francorum nomen adeptus,

Francis Romuleum nomen habere dedi’.

Haec ait, et capiti gemmis auroque coronam

inposuit, pignus imperii, sobolis :

‘Accipe, nate, meam, Christo tribuente, coronam,

Imperiique decus suscipe, nate, simul.

Qui tibi concessit culmen miseratus honoris,

Conferat ipse tibi posse placere sibi’.

Tum pater et soboles praestanti munere laeti,

Prandia magna colunt cum pietate dei.

O festiva dies multos memoranda per annos!

Augustos geminos, Francia terra, tenes.

Francia plaude libens, plaudat simul aurea Roma,

Imperium spectant cetera regna tuum.

### **3. Could Constantine, constantly conducting civil war, really have given away Gaul?**

Nunc queso, nonne abiecto animo et minime generoso videntur esse, qui opinantur Constantinum meliorem a se imperii alienasse partem – non dico Romam Italiamque et cetera, sed Gallias, ubi ipse prelia gesserat, ubi solum diu dominatus fuerat, ubi sue glorie suique imperii rudimenta posuerat –, hominem, qui cupiditate dominandi nationibus bella intulisset, socios affinesque bello civili persecutus imperio privasset; cui nondum perdomite ac profligate reliquie essent alterius factionis; qui cum multis nationibus bella gerere non modo soleret spe glorie imperiique, sed etiam necesse haberet utpote quotidie a barbaris lacessitus; qui filiis, qui coniunctis sanguine, qui amicitii abundaret; qui senatum populumque Romanum huic facto repugnaturum nosset; qui expertus esset instabilitatem victarum nationum et ad omnem fere Romani principis mutationem rebellantium; qui se meminisset more aliorum Caesarum non electione patrum consensuque plebis, sed exercitu, armis, bello dominatum occupasse? Que tam vehemens causa et urgens aderat, ut ista negligeret et tanta liberalitate uti vellet?

### **4. Pope says: punish the pagans and your penances will have been performed**

Monemus igitur et exhortamur in domino, et in remissionem peccatorum iniungimus, ut fratribus vestris et celestis regni coheredibus – omnes enim sumus invicem membra, heredes quidem dei, coheredes autem Christi – qui Ierosolimis et in finibus eius habitant [...] compatientes, infidelium insolentiam, qui sibi regna, principatus et potestates subicere contendunt, debita compescatis animadversione et illis totis viribus occurratis, quibus est propositum nomen delere christianum: alioquin futurum est ut in proximo ecclesia dei, iugum indebite perferens servitutis, fidei sentiat dispendium, prevalente gentilium superstitione. In quanta enim positi sint afflictione noverunt ex vobis nonnulli, qui hec que loquimur oculata conspexerunt fide, et presens illorum per manum Petri, viri venerabilis, qui presens est, ad nos delata docet epistola. Nos autem de misericordia domini et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi fidelibus christianis, qui contra eos arma susceperint et onus sibi huius peregrinationis assumpserint, iniunctas sibi pro suis delictis penitentias relaxamus.